



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 1. De qualitatibus Judicum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

# TITVLVS QVINTVS.

## *De Iudicibus.*

### Articulus Primus.

#### *De Qualitatibus Iudicium.*

**I**udex proprie dicitur cui ex officio competit, quæ sunt juris & justitiæ auctoritative declarare, causis & litibus legum declaratione finem imponere: omnem injuriam contra fas & justitiam, tam à Republica quam à civibus & subditis, potestate ac justitiæ mediis propulsare: cujus dignitas in hoc elucet: quod non tantum Regis sed & locum Dei teneat, & velut Deus, hominibus justitiam administret. In quo quatuor potissimum requiruntur qualitates.

1. Scientia sapientiæque; experientiæ conjuncta, ut norit jus divinum naturale & civile proportionaliter ad causas, quæ in suo tribunali proponi solent, quomodo enim discernet de rei veritate vel juris equitate qui jus ignorat.

2. Requiritur rectitudo animi in alteram partem inflexibilis, quæ qualitas colligitur

ex illo *Deut. 16. Iudices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, &c. ut judicent populum justo iudicio, nec in alteram partem declinent.*

3. Requiritur in Iudice fortitudo & Iustitiæ zelus ut patet *Eccles. 7. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperere iniquitates, ne forte extimescas vultum potentis & ponas scandalum in equitate tua.*

4. Requiritur Pietas & charitas ad proximum: ut nimirum causas habentes suscipiant & audiant, omnibus æquanimis sint, eorum lites promoveri oportune provideant, erga Viduas, Orphanos, pupillos & miseris personas se patres ostendant.

## Articulus Secundus.

### *De Obligationibus Iudicum.*

1. **O**bligantur ad causarum ac litium diligentem investigationem. 2. Ut in causis dijudicandis, nec amore nec odio, nec timore aut cupiditate moveantur, sed ab omni passione liberi solam iustitiæ veræ rectitudinem in Deo respiciant. 3. Ut sine ullo respectu humano tam in disquisitione quam